*AUTHOR:*

GILBERT, GUSTAV

*TITLE:*

DE ANAGRAPHIS OLYMPIIS ...

*PLACE:*

GOTHA

*DATE:*

1875


Master Negative #

93-81335-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


887.17
Z1
Gilbert, Gustav. 1843-
De anagraphis Olympiis commentatio.
Gotha 1875. Sq.Q. 10p.

Gotha (Ger.) gymnasium. Einladungsschrift.


32582 No. 8 of a v. of pamphlets.


Dissertation

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-28-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








**AIIM**

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 8.

# PROGRAMM

DES

# HERZOGLICHEN GYMNASIUM ERNESTINUM

## ZU GOTHA

als Einladung zur Theilnahme

an den

am 19. und 20. März zu veranstaltenden Prüfungen

**sämmtlicher Classen.**

---

Inhalt:

1) Gustavi Gilberti de anagraphis Olympiis commentatio.
2) Schulnachrichten. Von dem *Director.*

**Gotha, 1875.**

Druck der Engelhard-Reyher'schen Hofbuchdruckerei.

# Gustavi Gilberti de anagraphis Olympiis commentatio.

---

Quicunque se dederunt in studium Graecorum et historiae et antiquitatum, summa exspectatione advertunt animos ad effossiones, quae proximo tempore Guilelmi, augustissimi Germanorum imperatoris, auspiciis instituentur Olympiae. (Preuss. Jahrb. Bd. 33. Hft. 6. 1874. Im neuen Reich 1874, No. 20. Augsb. allgem. Zeit. 1874. Beil. zu No. 199.) Si in ulla Graeciae regione, certe Olympiae spes est fore ut his effossionibus et opera artis antiquae, quae a piis cultoribus Jovis Olympii consecrata ponebantur in delubro dei, eruantur et literae publicae, quae in lapidem vel aes incisae majoris sanctitatis causa a civitatibus Graecis collocabantur Olympiae, effodiantur. Quam ob rem officio hujus commentationis scribendae mihi imposito operae pretium me facturum esse putavi, si de anagraphis Olympiis, quae horum monumentorum sunt genus, breviter quaeram.

Unde igitur ordiri rectius possumus, quam ut quae vis subjecta sit voci *ἀναγραφῆς* exponamus? Anagraphas autem intelligunt omnes, qui hujus rei sunt periti, tabulas eas, quae aut a singulis civitatibus publice aut privatim a sacerdotibus ac nobilissimis gentibus compositae nomina magistratuum summorum sacerdotumque sacrorum numero annorum, per quos reipublicae vel sacerdotio praefuerant, addito ac victorum coronatorum certaminibus, quibus quisque vicerat, adjectis complecterentur [1]. Quaestio igitur de anagraphis Olympiis ita est instituenda, ut primum de Olympiis anagraphis et publicis et privatis agamus, tum quomodo has anagraphas tractaverint auctores Graeci exponamus, postremo in anagraphen Africani, quae nunc una exstat, inquiramus.

Ac primum quidem de titulo anagrapharum Olympiarum est agendum. Anagraphe enim Olympionicarum apud Pausaniam, qui praeter hanc anagraphen in conscribendis Eliacis [2]) et narrationibus

---

[1]) De anagraphis Graecis in universum disputaverunt Joh. Brandis de temp. graec. antiquiss. rationib. 1857 atque Alfredus de Gutschmid apud Fleckeisenium: Jahrb. f. class. Phil. 1861. p. 20 sequ. De anagr. Macedonica cf. eundem in Symb. phil. Bonnens. p. 102 sequ. De anagr. Sicyonia disseruit Carol. Frick ap. Fleckeisenium: Jahrb. f. class. Phil. 1873. p. 707 sequ. De anagraphis Spartanorum cf. ea, quae ipse exposui in libello, qui inscribitur Stud. z. altspart. Gesch., p. 1 sequ. et quae addidit Carol. Frick ap. Fleckeisenium: Jahrb. f. class. Phil. 1872. p. 645 sequ.

[2]) De exegetis Graecis in universum disputaverunt Ulrichs Abh. d. Bayer. Akad., Philos.-philol. Cl., Bd. 3. p. 679 sequ. C. Wachsmuth d. Stadt Athen im Alterth. 1. p. 33 sequ.

Pausanias in describenda Olympia et narrationibus Aristarchi exegetae est usus (cf. 5. 20. 4; 5. 10. 8.) et scriptis aliorum exegetarum, quae scripta de Olympia fuisse jam Corsini (diss. agon. p. 113.) suspicatus est, quem non suo jure refutare studuit Krause Olympia p. VI. Nam cum et Pausaniam scriptis exegetarum usum esse exemplo Lyceae Argivi (Paus. 1. 13. 8.) et haec scripta etiam de Olympia fuisse Agaclyti *περὶ Ὀλυμπίας* (Müller Fr. hist. Gr. 4. 288.) opere doceamur, non dubito ad haec scripta referre, quae Paus. de cista Cypseli (5. 18. 6.), de curru Gelonis (6. 9. 4.), de historia Olympiorum (5. 7. 6 — 5. 10. 1.) disputavit, quarum rerum auctores *Ἠλείων οἱ τὰ ἀρχαιότατα μνημονεύοντες* citantur (5. 7. 6.).

Catalogus summorum magistratuum intelligenda sunt *τὰ Ἠλείων γράμματα ἀρχαῖα* (Paus. 5. 4. 6. cf. 5. 10. 10; 5. 26. 2.). Ad haec *γράμματα* spectare videntur, quae Paus. (5. 4. 5.) de posteris Laiae, filii Oxyli, locutus est.

scriptisque exegetarum et anagraphe publica summorum magistratuum est usus, iterum ac saepius *τὰ Ἠλείων ἐς τοὺς Ὀλυμπιονίκας γράμματα* (5. 21. 9; 6. 2. 3; 6. 13. 10; 3. 21. 1.) nominantur. Quae *γράμματα* ut recte intelligantur, primum est quaerendum, num literis fuerint mandata. Ac primum ne illud quidem negligendum esse puto, quod titulus hujus anagraphes, qui idem exstat in omnibus Pausaniae locis, non facilis est ad interpretandum. Quid enim? Tabulis scripturae mandatis non titulus fuit inscribendus ut *ἀναγραφὴ* vel *κατάλογος τῶν Ὀλυμπιονικῶν*? Sane quidem ac titulum *τῶν ἐς τοὺς Ὀλυμπιονίκας γραμμάτων* ad tabulas scripturae mandatas pertinere vix quisquam suo jure conjiciat. Accedit quod hanc rem Pausanias ipse probare videtur. Apud Pausaniam enim Paraballon, qui qua aetate fuerit nescimus, etiam posteris se laudis studiosum, cum anagraphen Olympionicarum in gymnasio Olympiaco poneret, praestitisse dicitur (6. 6. 3.). Quam anagraphen scripturae non fuisse mandatam neminem fugiet. Nam cum *τῶν νικησάντων Ὀλυμπίασι τὰ ὀνόματα ἀναγράψαι ἐν τῷ γυμνασίῳ τῷ ἐν Ὀλυμπίᾳ* Paraballon dicatur, vix dubium est, quin tabulas victorum in lapidem vel aes incisas in gymnasio Olympiaco collocaverit. Altero loco Pausanias de anagraphe Euanoridae, qui fortasse idem fuit atque ille Euanoridas, qui a. 218 a. Chr. n. a Lyco, praetore Achaeorum, est captus (Polyb. 5. 94. 6. cf. Müller Fragm. hist. Gr. 4. 407.), locutus est, cum diceret: *γενόμενος δὲ Ἑλλανοδίκης ἔγραψε καὶ οὗτος τὰ ὀνόματα ἐν Ὀλυμπίᾳ τῶν νενικηκότων* (6. 8. 1.). Quae anagraphe quin per literas conscripta fuerit non habeo quod dubitem. Sed quid fuit, cur Euanoridas hanc anagraphen componeret, si jam diu anagraphe publica scripturae mandata exstaret? Nam cum Euanoridae anagraphe nihil aliud esse posset nisi apographum anagraphes publicae, non intelligo, cur Pausanias Euanoridae daturus fuerit laudi, quod hanc anagraphen descripsisset. Alia est res, si Euanoridas, cum nomina victorum auctoritate publica nondum collecta essent, primus Olympionicarum nomina collegit ac per literas composuit. Postremo Plutarchus etiam testatur ante a. 400 a. Chr. n. Olympiae nomina Olympionicarum nondum scriptis mandata fuisse. Plutarchus (Num. 1.) enim, qui aetatem Numae regis ita describit, ut aequalem Pythagorae Olympionicae olympiade 16. coronati eum fuisse dicat, difficile esse addit definire tempora nominibus Olympionicarum, *ὧν τὴν ἀναγραφὴν ὀψέ φασιν Ἱππίαν ἐκδοῦναι τὸν Ἠλεῖον ἀπ' οὐδενὸς ὁρμώμενον ἀναγκαίου πρὸς πίστιν*. Hippias igitur Eleus, sophistarum facile doctissimus, qui Protagora minor in Elide summis floruit honoribus (Müller Fr. hist. Gr. 2. 59 sequ.), primus anagraphen composuit Olympionicarum. Quod si eum, qui ut Eleus anagraphe publica, si exstabat, facillime uti poterat, ait Plutarchus anagraphen edidisse *ἀπ' οὐδενὸς ὁρμώμενον ἀναγκαίου πρὸς πίστιν*, certe illo tempore Olympiae nulla fuit anagraphe publica. Nam si anagraphe publica Olympiae fuisset, quiddam *ἀναγκαῖον πρὸς πίστιν* habuisset Hippias, cum errores ejus anagraphe publica facillime corrigi potuissent. Quam ob rem anagraphe publica Eleorum non in eam formam redacta fuisse videtur, quin Hippias, Paraballon, Euanoridas componenda atque edenda anagraphe privata de Olympionicis bene sint meriti.

Atque haec quidem hactenus. Jam vero quaerendum est, qualia haec *ἐς τοὺς Ὀλυμπιονίκας γράμματα* fuerint. Pausanias non omnium Olympionicarum statuas ait Olympiae positas esse. Hoc illud est: *τῶν δὲ νικησάντων Ὀλυμπίασιν οὐχ ἁπάντων εἰσὶν ἑστηκότες ἀνδριάντες, ἀλλὰ καὶ ἀποδειξάμενοι λαμπρὰ ἐς τὸν ἀγῶνα, οἱ δὲ καὶ ἐπὶ ἄλλοις ἔργοις, ὅμως οὐ τετυχήκασιν εἰκόνων* (6. 1. 1.). Quamquam honorum fuit Olympionicarum, ut statuae eorum Olympiae ponerentur (Paus. 5. 21. 1.)[3], tamen non omnes hoc honore sunt affecti. Nam et ante ol. 59. omnino non sunt collocatae statuae victorum Olympiae (Paus. 6. 18. 7.) et post hanc ol. statuas eorum victorum, quorum ad statuas ponendas nemo fuit qui impen-

[3]) Quod Plinius (nat. hist. 34. 16.) ait, statuas iconicas ponendi morem non fuisse nisi eorum, qui ter Olympiae vicissent, Krause Olympia p. 176. 34. aliis testimoniis refutavit.



sam faceret, positas non esse per se ipsum patet (Krause Olympia 174. A. 32.). Pausanias autem loco eo, quem supra laudavimus, hoc modo pergit: *τούτους* (eos, qui Olympiae statuas non habent) *ἐκέλευσεν ἀφεῖναί με ὁ λόγος, ὅτι οὐ κατάλογός ἐστι ἀθλητῶν ὁπόσοις γεγόνασιν Ὀλυμπικαὶ νῖκαι*. Cum autem Pausanias se eos, qui Olympiae statuas non haberent, quod catalogum Olympionicarum componere nollet, silentio praeteriturum esse dicat, in Alti Jovis Olympii res invenerit necesse est, ex quibus talem catalogum componere posset[4]). Nam si nihil habuisset Pausanias, ex quo nomina Olympionicarum statuis non honoratorum erueret, non consilio, sed necessitate haec nomina praetermittere jussus esset. Quam ob rem sententiam Odofredi Muelleri (Dor. 1. 130.), qui Olympionicarum nomina primum in singulis columnis inscripta fuisse conjecit, ita accipiendam puto, ut Pausanias in Alti Jovis Olympii praeter statuas nonnullorum Olympionicarum columnas invenerit, in quas et nomina victorum omnium et certamina, quibus quisque vicerat, erant incisa. Haud scio an Hellanodicarum fuerit, ut ludis quinquennalibus celebratis nomina victorum in columnam inciderent eamque in Alti collocarent. Probabilisque videtur Meieri opinio (Allg. Encycl. III. 3. 166. v. Ersch u. Gruber), qui has columnas *τὰ ἐς τοὺς Ὀλυμπιονίκας γράμματα* apud Pausaniam commemorata esse censuit[5]). Quam sententiam si acceperis, omnia facillime explicabuntur. *Γράμματα* enim intelligenda sunt inscriptiones (cf. Her. 1. 187; 4. 91.) et titulus *τὰ ἐς τοὺς Ὀλυμπιονίκας γράμματα* idem valet atque inscriptiones, quae ad Olympionicas pertinent, vel inscriptiones in honorem Olympionicarum compositae. Quod si re vera victorum nomina in singulis columnis inscripta exstabant Olympiae, eis collectis, in lapidem vel aes incisis, in gymnasio Olympiaco positis praestitisse *ἐς τοὺς ἔπειτα φιλοτιμίαν* dici poterat Paraballon atque Euanoridae anagraphe scriptis mandata ad nomina victorum facilius exploranda magni erat momenti. Atque Plutarchus etiam anagraphen Olympionicarum edidisse recte dixit Hippiam *ἀπ' οὐδενὸς ὁρμώμενον ἀναγκαίου πρὸς πίστιν*, quippe qui primus victorum nomina colligeret ac disponeret ideoque nisi columnarum titulis denuo exquisitis corrigi non posset. Continua memoria olympiadum, quam inter omnes constat a Coroebi victoria incepisse (Paus. 5. 8. 2.), ad certam quandam columnarum positarum seriem spectat atque Aristodemus verbis *ὀγδόῃ δὲ καὶ εἰκοστῇ ὀλυμπιάδι Κόροιβος Ἠλεῖος ἀνεγράφη στάδιον νικήσας* (Syncell. 196 C.) Coroebi nomen in columnam incisum eamque in Alti collocatam esse vult dicere.

In singulis autem columnis praeter victores olympiadum 8. 34. 104., quae anolympiades vocantur (Paus. 6. 8. 3; 6. 4. 2.)[6]), omnium, qui quaque olympiade vicerant, nomina inscripta fuisse et per se ipsum patet et ex Pausaniae verbis intelligitur. Nam et ludorum, quos in his columnis incisos invenerat, apud Pausaniam laudantur *ἅρμα* (6. 2. 3. cf. 6. 8. 3.), *κέλης* (6. 13. 10.), *παγκράτιον* (6. 4. 2; 10. 36. 9.), *στάδιον* (3. 21. 1.) et victorum, quorum nomina ex his inscriptionibus cognoverat, *οἱ ἀφ' Ἡρακλέους* (5. 21. 9 sequ.), qui eisdem ludis pancratio et lucta vicerant, commemorantur. Cum primis

[4]) Quo spectat illud a Plinio (nat. hist. 4. 14.) dictum: delubrum Olympii Jovis ludorum claritate fastos Graeciae complexum.

[5]) Morem inscribendi nomina victorum in columnis lapideis etiam in aliis civitatibus Graecis fuisse testatur scholiastes ad Pind. Ol. 8. v. 156. his verbis: *κατὰ τὰ Μέγαρα ἔθος ἐστὶ τῶν νικηφόρων τὰ ὀνόματα λίθοις ἐγκολάπτεσθαι, — οἱ ἐν τοῖς Μεγάροις ἀγῶσι νικῶντες λιθίνης ἠξιοῦντο στήλης διὰ ψηφίσματος, ἐν αἷς τὸ αὐτῶν ὄνομα ἦν.* Cf. Boeckh Expl. ad Pind. p. 176. 177. De urbe Coresia in insula Ceo sita cf. Corp. inscr. Gr. no. 2360. v. 40: *ἀναγράφειν δὲ εἰς λεύκωμα ἐτήσιον τοὺς ἀεὶ νικῶντας τὸν γραμματέα.*

[6]) Weissenbornii vestigia, qui primus non olympiadem 8., quam Paus. (6. 22. 2.) memoriae prodidit, sed ol. 28. Phidonis Argivi anolympiadem fuisse sine ulla causa suspicatus est (Hellen. p. 1 sequ.), secuti sunt Ern. Curtius (griech. Gesch. 1. 237.), Deimling (chronol. Stud. p. 16 sequ.), Fricke (de Phidone Argivo p. 36—38. Gratulationsschr. d. soc. phil. Goett. f. Curtius 1868). Omnibus, quibus persuaderi potest, Weissenbornii conjecturam falsam esse persuasit Ungerus (Philol. 28. p. 400 sequ. 1869).

redecim olympiadibus nisi stadium ludi non ederentur Olympiae et tum demum paulatim numerus ludorum augeretur, primis temporibus columnae Olympiacae non idem quod postea album victorum continebant. Quam seriem eis temporibus, quibus ludi celebrabantur omnes, in columnis Olympiacis observaverint victores, ex uno integro albo ol. 177., quod de chronicis Phlegontis Tralliani depromtum apud Photium (Cod. 97. p. 83. ed. Bekker) exstat, satis dijudicari non potest.

Sed unus Pausaniae est locus (6. 22. 3.), quo altera laudatur anagraphe Olympia, quae inscribitur *κατάλογος τῶν ὀλυμπιάδων*. Fastos Graecos cum inciperent nominibus stadionicarum Olympiae coronatorum definire auctores Graeci, fieri non potuit, quin nomina stadionicarum colligerentur ac disponerentur, quae collecta dispositaque illum catalogum olympiadum effecisse suspicor. In hunc catalogum anolympiades non esse receptas eo quem laudavimus loco his verbis exposuit Pausanias: *ἀνολυμπιάδας οἱ Ἠλεῖοι καλοῦντες οὐ σφᾶς ἐν καταλόγῳ τῶν ὀλυμπιάδων γράφουσιν*. Sed illud a Pausania dictum altero loco ejusdem auctoris corrigi videtur. Apparet enim ad eundem catalogum spectare ea verba, quae de ol. 211. fecit Pausanias: *αὕτη δὲ ἐν τοῖς Ἠλείων γράμμασι παρεῖται μόνη πασῶν ἡ ὀλυμπιάς* (10. 36. 9.). Quae *γράμματα* non esse *τὰ ἐς τοὺς Ὀλυμπιονίκας γράμματα* ex eo intelligitur, quod titulus, qui idem est ceteris locis Pausaniae, non occurrit hoc loco et quod non de Olympionicis agitur, sed de olympiadibus. Quam ob rem facere non possum, quin haec *γράμματα* illum catalogum olympiadum intelligam, in quo omissa erat ol. 211., quod Olympia non primo, sed tertio hujus olympiadis anno erant celebrata. (Cf. African. ad ol. 211.) Cum autem nomina victorum, qui anolympiadibus vicerant, in columnis in Alti positis incisa non esse testetur Pausanias, ne fieri quidem potuit, ut nomina stadionicarum, qui his olympiadibus victorias reportaverant, in catalogum ad tempora constituenda compositum reciperentur. At contra ne fasti turbarentur, illae tres anolympiades in catalogo ne silentio quidem erant praetereundae. Quae cum ita sint, etiam anolympiades in hoc catalogo notatas fuisse fortasse hoc modo puto: *τούτῳ τῷ ἔτει ἀνολυμπιὰς ἤχθη ὑπὸ τῶν δείνων*, ac verba Pausaniae *ἀνολυμπιάδας οἱ Ἠλεῖοι καλοῦντες οὐ σφᾶς ἐν καταλόγῳ τῶν ὀλυμπιάδων γράφουσιν* ita esse enarranda, ut Elei et has olympiades in catalogo ipso vocarent anolympiades neque ut legitimas olympiades in catalogum reciperent.

Quorsum haec? Ex eis quae praemissa sunt spero fore ut efficiatur Olympiae duo fuisse genera anagrapharum, et *τὰ ἐς τοὺς Ὀλυμπιονίκας γράμματα* in honorem victorum in columnis incisa et *κατάλογον τῶν ὀλυμπιάδων* ad fastos Graecos constituendos compositum.

Sed quoniam de anagrapharum Olympiarum natura qualis fuerit satis disputavimus, veniamus nunc ad eam quaestionem, qua quaeritur, quomodo has anagraphas tractaveriut auctores Graeci eisque sint usi ad tempora historiae Graecae constituenda.

Auctores autem, qui primi de victoribus Olympiorum exposuerunt, scriptis id unum secuti esse videntur, ut ad nomina victorum collecta historiam adderent et ludorum et artis gymnasticae. Aristoteles, qui primus ac princeps hac ratione victores collegit ludorum sacrorum (cf. Krause Olympia VI. sequ.), anagraphen et Pythionicarum, id quod Plutarchus (Sol. 11.) testatur, et Olympionicarum, quae apud Diogenem Laërt. (5. 26.) sub titulo *Ὀλυμπιονῖκαι α'* laudatur, composuit. Ex paucis quae exstant fragmentis nisi adumbratam imaginem hujus anagraphes fingere non licet. Ut Aristoteles in anagraphe Pythionicarum de bello Crisaeo, quod auctore Solone est gestum, disputavit (Sol. 11.), ita etiam in Olympionicis historiam Olympiorum tractasse putandus est. Huc referendum est fragmentum illud, quod excerptum longioris explicationis esse videtur, quo Aristoteles de pancratio egit: *Ἀριστοτέλης Λεύκαρόν φησι τὸν Ἀκαρνᾶνα πρῶτον ἔντεχνον τὸ παγκράτιον ποιῆσαι* (fr. 261. Müller Fr. hist. Gr. 2. 182.). Et de vita praeterea exposuit Aristoteles clarissimorum Olympionicarum, ut Milonis (fr. 262.) et Diagoridarum



(fr. 264.). At contra Olympionicis collectis annales temporum Aristotelem voluisse persequi veri simile non videtur.

Eadem ratione qua Aristoteles jam antea etiam Hippias Eleus, de quo supra disputavimus, in anagraphe Olympionicarum nomina victorum Olympiae coronatorum collegisse videtur atque idem est judicandum de Olympionicis Agriopae, qui apud Plinium (nat. hist. 8. 82.) semel laudatur, ut omittamus, quid de Menaechmo conjecerit Carol. Muellerus (Fr. hist. Gr. 2. 182. Fr. hist. Alex. 145.).

Jam sequitur, ut de eis anagraphis Olympiis, quae compositae sunt ad fastos Graecos constituendos, exponamus. Vetustiores rerum scriptores tempora nondum nominibus Olympionicarum definiisse ex Herodoti exemplo intelligitur, qui ne Olympia quidem a Phidone acta numero olympiadis circumscripsit diligentius (6. 127.). Ac ne quis temere hoc a nobis dici existimet, addo in Herodoti lib. 7. c. 126. Olympiis commemoratis non annum, sed tempus anni definiri. Apud Thucydidem (3. 8; 5. 49.) anni, qui postea olympiadibus 88. et 90. notabantur, Olympiis actis circumscribuntur. Sed cum his locis olympiades non nominibus eorum, qui stadio, sed qui pancratio vicerant, notentur, ex hac re illam olympiadum aeram aetate Thucydidis nondum in usu fuisse satis apparet. Xenophontis locos, quibus archontum, ephororum, Olympionicarum nominibus constituuntur tempora (1. 2. 1; 1. 3. 1; 1. 6. 1; 2. 1. 10; 2. 30. 1.), cum multi insint errores, interpolatos esse homines docti non sine aliqua causa conjecerunt ac probaverunt. (Cf. Aem. Müller de Xen. hist. Gr. parte priore p. 10. Breitenbach in praef. ed. suae p. XL. Boeckh Corp. inscr. Gr. 1. p. 264.) Ephorum in historiis ubique ad tabulas genealogorum provocasse jam Joh. Brandis (l. l. 25.) intellexit.

Qui primi eadem ferme aetate olympiadibus ad constituenda tempora sunt usi, Philochorus ac Timaeus fuerunt. Inter opera Philochori *Ὀλυμπιάδες ἐν βιβλίοις β'* laudantur, quae quales fuerint, cum nulla exstent fragmenta atque ea quae suspicatus est Carol. Muellerus (Fr. hist. Gr. 1. LXXXIX.) in medio sint relinquenda, non satis intelligitur. Ac ne illud quidem silentio praetereundum puto, in Atthide neque aeram olympiadum adhibitam esse et tempora praemissis archontum Atticorum nominibus definiri. (cf. fr. 134. 135.)

Quae de Timaei (cf. Schaefer Quellenk. d. griech. Gesch. § 44. Müller Fr. hist. Gr. 1. XLIX sequ.) studiis chronologicis prodita accepimus, pusilla sunt ac comprehenduntur glossa Suidae ac Polybii loco. Hoc nimirum est illud a Polybio de Timaeo dictum: *ὁ γὰρ τὰς συγκρίσεις ποιούμενος ἀνέκαθεν τῶν ἐφόρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς Ἀθήνησι καὶ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει παραβάλλων πρὸς τοὺς Ὀλυμπιονίκας καὶ τὰς ἁμαρτίας τῶν πόλεων περὶ τὰς ἀναγραφὰς τὰς τούτων ἐξελέγχων, παρὰ τρίμηνον ἐχούσας τὸ διαφέρον, οὗτός ἐστι* (Polyb. 12. 11.). Ex Polybii loco judicanti mihi Timaeus studiis chronologicis haec tria effecisse videtur. Primum enim collationem ephororum regumque Lacedaemoniorum eamque haud dubie ita composuit, ut in continua ephororum serie reges, quo anno quisque regnare et coeperat et desierat, adnotarentur. Voce *ἀνέκαθεν* Polybium exprimere voluisse puto hanc collationem ab ephoria instituta incepisse. Tum vero Timaeus archontes Atticos, sacerdotes Junonis Argivae, Olympionicas haud dubie ita contulit, ut facile intelligeretur, quis archon et quis Olympionices responderet singulis annis sacerdotum Argivarum, quibus viventibus sacerdotium non adimebatur. Postremo urbium errores, qui ex annis singularum urbium et olympiadum inter se collatis exsisterent ac circiter tres menses efficerent, ostendit Timaeus. Quod recte intellexisse illum rerum scriptorem non difficile est probatu. Nam ut principium anni apud Spartanos cum aequinoctio auctumnali mense Octobri incepisse ex c. 36. lib. 5. Thucydidis apparet (cf. Dodwell de cycl. VIII. 5. p. 320. C. Fr. Hermann: Abh. d. Goett. Ges. d. W. 1844. 152. 153.), ita idem anni initium apud Argivos fuisse C. Fr. Hermannus suo jure suspicatus est (l. l. p. 125. de anno Delphico p. 22.). Olympia contra ex-

tremo mense Julio vel Augusto celebrata esse certis argumentis probavit Ungerus (Philol. Bd. 33. p. 227 ff. 1873.) Quae cum ita sint, annos ephororum sacerdotumque Argivarum non plane respondisse annis olympiadum nemo est quin intelligat. Nam ea, quae inter Julium vel Augustum et mensem Octobrem extremum evenerant, ex computatione olympiadum jam in novum annum incidebant, ex temporibus autem Spartanorum et Argivorum terminis praecedentis anni circumscribebantur. Verba autem Polybii non quadrare in Athenienses ex eo efficitur, quod annum Atticum mense Julio vel Augusto una cum initio olympiadum incepisse scimus (Mommsen Heort. p. 100 sequ.) Cum certe neminem c. 6 sequ. lib. 12. Polybium de historiis Timaei disputare fugiat, facere non possum, quin Timaei quaestiones chronologicas, quae apud Polybium in lib. 12. c. 11. laudantur, historiis intextas fuisse putem. Haud scio, an Timaeus, qua fuit diligentia in exquirendis temporibus (Polyb. 12. 10. Diod. 5. 1.), in prooemio historiarum in diversas rationes temporum inquisiverit ac collationes illas, de quibus supra disputavimus, composuerit. Certum est igitur Timaei quaestiones chronologicas, de quibus agit Polybius, ad Ὀλυμπιονίκας ἤτοι χρονικὰ πραξίδια, quae Timaeus composuisse apud Suidam (s. v. Τίμαιος) dicitur, referri non posse. Quod si jam Arnoldtus (de hist. Timaei opinionum ab editore Parisino conceptarum refutatio, p. 12 sequ. Progr. v. Gumbinnen 1851) contra Muellerum suo jure contendit de laudatis Timaei operibus nihil credendum esse, cujus auctor solus sit Suidas, maxime illa sententia in hoc opus valet. Recte igitur jam Bernhardius (ad h. l. Suid.) Ὀλυμπιονίκας veritus est ut Suidas pro libro singulari merito venditarit. (Cf. Arnoldt. l. l. p. 13.) Ipsam enim vocem πραξίδια, quae novissimam aetatem sapiat, demonstrare argumentum illius tituli explicari. Et vero recte Meierus (Allgem. Encycl. III. 3. 489.) haec πραξίδια Hesychii glossa πράξεις· βίοι ἢ διαθῆκαι explicasse videtur. Nam ut voces diminutivae in lingua Graeca posteriorum temporum saepe eandem ac voces, ex quibus sunt derivatae, habent notionem, ita χρονικὰ πραξίδια idem ac χρονικαὶ πράξεις valent et pensa chronologica sunt intelligenda. Talem autem libellum in usum scholarum scriptum edidisse Timaeum nemo erit quin neget. Si re vera hic libellus sub nomine Timaei ferebatur, vix dubium est, quin auctor in suo opere, ut docentibus discentibusque commendaretur, nomen Timaei, viri de studiis chronologicis optime meriti, inscripserit. Certa fragmenta hujus operis non exstant, nam quae Muellerus (Fr. hist. Gr. 1. 232.) sub hoc titulo profert, sedis sunt incertae.

Timaeus autem in historiis sacerdotes Argivas, archontes Atticos, ephoros Spartanos cum Olympionicis eam ob rem contulisse videtur, quod jam ante Timaeum nominibus eorum tempora constituebantur. Hellanicus enim jam ante res gestas historiae Graecae ex nominibus sacerdotum Argivarum ordinaverat (Brandis l. l. p. 10.) eisdemque Thucydides (2. 2.) in definiendis temporibus est usus. Computationem temporum nominibus archontum ephororumque circumscriptorum idem habet Thucydides (2. 2; 5. 19.) et vix dubium est, quin fasti archontum apud omnes Atthidographos in usu fuerint.

Quod superest, homines docti usum olympiadum aerae in historiis Timaei latius patere existimare videntur. Nam quod Meierus (l. l. p. 167.) ait Timaeum in historiis semper olympiadibus ad constituenda rerum gestarum tempora esse usum, non intelligo, quibus argumentis nisus ille homo doctissimus hanc sententiam pronuntiaverit, cum non saepius olympiades quam alia tempora in historiis eum adhibuisse probetur fragmentis. Nam ut tempora Romae et Camarinae conditarum ex aera olympiadum circumscripsit (fr. 21. 91 a.), ita Massaliam conditam e pugna Salaminia (fr. 40.), conditam Corcyram e bello Trojano (fr. 53.) computavit. Ac si recte Th. Bergkius (Philol. 32. p. 565. 1872) est suspicatus marmor Parium magnam partem Timaei historiis inniti, etiam hac re, cum in his chronicis Pariis tempora nominibus archontum Atticorum definiantur, apud Timaeum aeram olympiadum non unam in usu fuisse probatur. Quae cum ita sint, recte vidisse mihi videor, qui neque historias Timaei



ex annalium consuetudine ordinatas fuisse et Timaeum in constituendis temporibus praeter alios fastos etiam olympiadibus, quas primus numeravit (cf. fr. 91 a.), usum esse putem.

Jam hoc loco, ne quemquam omisisse videar, Stesiclidem Atheniensem commemorare volui, qui nescio quo tempore archontum et Olympionicarum anagraphen composuit. Uno quod exstat fragmento quo anno Xenophon mortem obierit memoriae prodidit. (Diog. Laërt. 2. 55.)

Non multo post Timaeum grammatici Alexandrini tempora rerum gestarum historiae Graecae ad aeram olympiadum revocaverunt. (Cf. Meier l. l. p. 167.) Opera, quibus haec fundamenta chronologica sunt jacta, fuerunt Eratosthenis Cyrenaei liber, qui inscribitur περὶ χρονογραφιῶν (cf. fr. 11. Müller Fr. chronogr. p. 200. in append. edit. Paris. Her.), quem tempora ab expugnata Troja usque ad Eratosthenis aetatem complexum esse veri simile est, atque Apollodori Atheniensis χρονικὰ vel χρονικὴ σύνταξις (Müller Fr. hist. Gr. 1. XLIII.), ab excidio Trojae usque ad a. 144 a. Chr. n. deducta. Haec opera eodem modo quo chronica Eusebii composita fuisse videntur, ita ut et historiam singulorum populorum et compositionem rerum uno eodemque tempore gestarum complecterentur. Ex operis argumento, quod exstat apud Scymnum Chium (v. 16 sequ.), judicanti mihi Apollodorus non separatim Olympionicas tractasse videtur. Eratosthenem autem, ut apud Eusebium singularis stadionicarum anagraphe exstat, ita peculiari parte operis historiam et Olympiorum et Olympionicarum persecutum esse eam ob rem veri simillimum puto, quod haec operis pars sub peculiari Ὀλυμπιονικῶν titulo saepius laudatur (fr. 21. 22. 23.). His Olympionicis collectis praemissam fuisse disputationem de origine atque institutis Olympiorum ex fragmentis 20. 21. 23. concludere possumus.

Proximus post Eratosthenem Phlegon Trallianus, libertus Hadriani (Müller Fr. hist. Gr. 3. 602. sequ.), in opere, quod inscribitur Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγή, quod usque ad ol. 229. continuavit, anagraphen composuit Olympionicarum, quorum nomina collecta ita disposuerat, ut, nominibus victorum cuique olympiadi praemissis, quae quaque olympiade evenerant memoriae proderet. (Cf. fr. 12. Müller 3. 606.)

Post Phlegontem Trallianum etiam Africanus Olympionicarum anagraphen denuo in opus chronologicum recepit. Sextus Julius Africanus Palaestinensis, qui priore saeculi tertii p. Chr. n. parte floruit, χρονικὰ quinque librorum composuit, quae usque ad tempora Antonini Elagabali (218—222) deduxit[1]. Omnes fere homines docti, qui huic studuerunt quaestioni, vestigia Scaligeri (Proleg. ad Euseb.) secuti ut Eusebii chronica magnam partem, ita anagraphen Olympionicarum ab Africano descriptam esse probaverunt. Ac ne Ungerus quidem, qui Porphyrium Tyrium Eusebii fontem fuisse suspicatus est (Philol. 28. p. 407. 1869), quae sententia, quod sciam, usque adhuc nondum accuratius ab illo homine doctissimo probata est, cum Porphyrium anagraphen ab Africano descripsisse censeat, huic opinioni adversatur. Anagraphe Africani, cum praescriptione 247 olympiades comprehendere dicatur, re vera complectitur olympiades 249. Quae res hoc modo explicanda videtur. Ut Rutgersius (Proleg. ad Afric. anagr. II. 3.) Africanum a. 220 p. Chr. n. componendis chronicis occupatum fuisse recte computavit, ita jam aliquot annis ante ol. 247. Olympionicas, qui tamquam ossa totius corporis essent, composuisse videtur. Qua re factum est, ut primum Olympionicas usque ad ol. 247. colligeret, quibus opere perfecto olympiades 248. et 249. praescriptione anagraphes non mutata addidit. Omnes chronographi Christiani, qui post eum chronica composuerunt, vestigia secuti sunt Africani.

Quibus rebus expositis satis docuisse mihi videor, anagraphas Olympias quomodo tractaverint

[1]) Cf. Syncell. p. 107 D.: ὥς φησιν ὁ Ἀφρικανὸς ἕως τῶν χρόνων αὐτοῦ Ἀντωνίνου ἱστορήσας. Rutgers Proleg. ad Afric. anagr. I. 1 sequ.

auctores Graeci. Restat, ut in anagraphen Africani, quae nunc una exstat, ejusdemque fontes inquiram diligentius. Chronographos posteriorum temporum in colligendis Olympionicis non semper denuo ad publicam Eleorum anagraphen provocasse et per se ipsum veri simile est et certis argumentis confirmari potest. Nam cum victores anolympiadum in publica Eleorum anagraphe notatos non fuisse acceperimus (Paus. 6. 8. 3; 6. 4. 2.), Africanum haec nomina, quae apud eum exstant, ex alio fonte hausisse apparet. Cum in columnis publicis Eleorum septem tantum victores ἀφ' Ἡρακλέους, qui eisdem ludis eodemque die lucta et pancratio vicerant, inscripti essent (Paus. 5. 21. 9 sequ. Afric. ad ol. 204.), Africanus ea, quae ad ol. 232. de Socrate scripsit, ex publica Eleorum anagraphe petiisse non potest. Ex quo efficitur, ut Africanus in colligendis Olympionicis non inscriptionibus columnarum Olympiae positarum, sed fonte per literas conscripto sit usus. Idem de Eratosthene quoque esse judicandum ex fr. 23. hujus auctoris recte colligitur, quod me hoc loco exscribere par est: *λέγει δὲ καὶ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς Ὀλυμπιονίκαις τὴν πρώτην καὶ ἑβδομηκοστὴν ὀλυμπιάδα νενικηκέναι τὸν τοῦ Μέτωνος πατέρα, μάρτυρι χρώμενος Ἀριστοτέλει.* Quod si Eratosthenes in quaestione de Olympionicis solvenda ad Aristotelem provocat, eum publicam Eleorum anagraphen inspexisse probabile non videtur, quippe quae ad hanc quaestionem solvendam majoris auctoritatis esset quam apographum Aristotelis. Quam ob rem recte invenisse mihi videor hunc morem fuisse chronographorum, ut Olympionicas, qui jam antea ab aliis auctoribus collecti erant, ab his peterent eorumque tabulas aut ex columnis Olympiacis aut ex privata Eleorum anagraphe supplerent atque usque ad sua tempora continuarent.

Quaerendum est igitur, ex quibus fontibus Africanus Olympionicas hauserit. Phlegontis autem anagraphe usum non esse fonte Africanum ex eo intelligitur, quod apud Africanum Hecatomnus, stadionices ol. 177., Eleus, apud Phlegontem Milesius vocatur. (Cf. Rutgers ad hanc ol. anagr. Afric.) Eratosthenem contra fontem fuisse Africani et ex eo concludere licet, quod omnium diadochorum Lagidarum tantum regnum in Aegypto conditum commemoratur (Afric. ad ol. 114.), et ex Africani verbis ad ol. 48. additis cum Eratosthenis fragmento 8. collatis apparet, quae ut facilius intelligas hoc loco exscripsi:

| African.: | Eratosth.: |
| --- | --- |
| *Πυθαγόρας Σάμιος ἐκκριθεὶς παίδων πυγμὴν καὶ ὡς θῆλυς χλευαζόμενος, προσβὰς τοὺς ἄνδρας, ἅπαντας ἑξῆς ἐνίκησεν.* | *τοῦτον (Πυθαγόραν) εἶναι τὸν πρῶτον ἐντέχνως πυκτεύσαντα ἐπὶ τῆς ὀγδόης τεσσαρακοστῆς ὀλυμπιάδος, κομήτην καὶ ἁλουργίδα φοροῦντα· ἐκκριθέντα τ' ἐκ τῶν παίδων καὶ χλευασθέντα αὐτίκα προσβῆναι τοὺς ἄνδρας καὶ νικῆσαι.* |

His locis inter se collatis neminem fugiet Africani locum excerptum Eratosthenis esse ideoque Africanum atque Eratosthenem non ad verbum inter se consentire. Nam ut, quin in anagraphis Aristotelis, Eratosthenis, Phlegontis omnium victorum nomina notata fuerint, nulla est causa cur dubitemus, ita contra Africanus acquievisse videtur in colligendis stadionicis, quos ab Eratosthenis anagraphe petiverat. Quod me recte suspicatum esse eis verbis probari videtur, quae Africanus ad ol. 1. addidit: *τοῦτο γὰρ ἠγωνίζοντο μόνον ἐπ' ὀλυμπιάδων ιγ'.* Quae verba nisi in hanc sententiam accipi non possunt, ut causam afferant, cur in ea anagraphe, qua omnium victorum nomina continebantur, primis tredecim olympiadibus stadionicae tantum notati sint. In ea autem anagraphe, quae omnium victorum stadionicas tantum complectebatur, nulla causa fuit cur auctor haec verba faceret, cum omnino in tota anagraphe nulli exstarent victores nisi stadionicae. Accedit quod in Africani anagraphe insunt non pauca breviter dicta, quae, ut nunc exstant, vix intelliguntur, velut de victore quodam ol. 28. dicitur: *ὃς σύκοις*



*ξηροῖς ἤσκει*, vel ol. 98: *οὐ μέσα οὐδεὶς ἔλαβεν.* Hae sunt causae, cur Africani anagraphen Eratosthenis Olympionicarum excerptum esse suspicatus sim.

Nec vero modo Africanus opere Eratosthenis, sed etiam hic in Olympionicis vetustiorum temporum colligendis scriptis aliorum auctorum, qui ante eum scripserant, ut Hippiae, Aristotelis, Timaei, uti potuit. Quorum Aristotele usum esse fonte Eratosthenem fragmento, quod supra exscripsi, satis probatur (fr. 23.).

Quae cum ita sint, anagraphes, quae nunc una exstat, primae partis Aristotelem, mediae Eratosthenem, extremae Africanum ipsum primarium esse fontem veri simile videtur. Relinquitur igitur, ut quaeramus, num hae tres operis partes accuratius possint distingui. Difficilis est haec quaestio ea re, quod Africani anagraphe excerptum est Eratosthenis, cujus in opere Aristotelis vestigia colligere certe facilius erat.

Quod si Aristotelem Olympionicarum tabulas usque ad senectutem continuasse non sine aliqua veritatis specie suspicari possumus, non est quod dubitemus, quin Africani anagraphe ferme usque ad ol. 114. Aristotelem primarium habeat fontem. Ut Aristotelem de historia ludorum, quis quo tempore singulorum certaminum leges conscripserit, exposuisse jam supra vidimus, ita illud Africani pusillum excerptum ad ol. 23. additum: *ὁ καὶ τῇ πυγμῇ νόμους θέμενος*, Aristotelis ingenium redolere videtur. Cum Aristotelem, qui in libro de republica composito (p. 134. 31 sequ. Bekker) inter Olympionicas vix duos tresve ait esse, qui et in pueritia et aetate adulta Olympiae reportassent victorias, hoc ab anagraphe Olympionicarum petiisse suspicari non dubitem, in verbis ad ol. 37. additis: *προσετέθη καὶ παίδων πάλη καὶ ἐνίκα Ἱπποσθένης Λάκων, ὃς διαλιπὼν μίαν τὰς ἑξῆς πέντε ὀλυμπιάδας ἀνδρῶν πάλην ἐνίκησεν*, vestigium Aristotelis recte invenisse mihi videor. Mirum non est, quod apud Africanum et omnium, qui leges singulorum certaminum condiderant, is tantum, qui leges pugilatus conscripserat, et victorum, qui pueri ac viri Olympiae victorias reportaverant, is tantum, qui ol. 37. puerorum lucta vicerat, commemoratur. Nam ne hos quidem Africanus laudasset, nisi primi victores certaminum recens institutorum fuissent, quos omnes in anagraphen recepit. Ex eis, quae supra de Aristotelis Olympionicis disputavimus, concludere licet omnia, quae in prima anagraphes parte Africani de vitis singulorum Olympionicarum ac de novis certaminibus exposita sunt, ad Aristotelem esse referenda.

Ab ol. ferme 114. novum incipere fontem Africani, Eratosthenem dico, qui ferme usque ad ol. 145. Olympionicas continuasse putandus est, hae sunt causae, cur suspicer. Ad ol. 118. apud Africanum primum vox *περιοδονίκου* ad significandos eos, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicerant, usurpatur. Quae vox ad ol. 135. iterum occurrit atque ad ol. 145. ita, ut *παιδικὴ περίοδος* dicatur. Cum in prima anagraphes parte *περιοδονίκης* aut singulis ludis enumeratis (cf. ol. 62.) aut omnino non laudetur (cf. Rutgers ad ol. 99.), in extrema parte nemo exstet *περιοδονίκης*, cum porro hanc vocem apud Eratosthenem in usu fuisse ex fragmento 24. hujus auctoris intelligatur, non errare mihi videor, si mediam anagraphes partem ad Eratosthenem esse referendam puto. Accedit quod apud Africanum ad ol. 126. leguntur haec: *Ἰδαῖος ἢ Νικάτωρ Κυρηναῖος στάδιον.* Si hunc unum locum exceperis, nomen geminatum Olympionicarum, quod ab ol. 213. saepius in anagraphe usurpatur, ante ol. 199. non invenies. Certe dubium non est, quin Idaeus cognomen Nicatoris victoria Olympiae reportata sibi pepererit atque hoc nomen extra fines urbis patriae vix notum fuerit. Quod cognomen ut nihilo minus in tabulas Olympionicarum irrepserit, meo jure suspicari mihi videor id effecisse Eratosthenem, qui fortasse in pueritia Idaeum popularem Cyrenis noverat ideoque cognomen Nicatoris ad nomen Idaei in anagraphe addidit.

Extremam anagraphes partem ab ol. ferme 145. incipientem quin Africanus ipse, cum Olympionicis Phlegontis eum usum non esse jam supra demonstraverimus, composuerit, non habeo quod dubi-

tem. Nam hanc partem non ex eodem fonte ac duas alias anagraphes partes fluxisse, his discrepantiis, quas prae se fert, satis probatur. Primum enim ad ol. 154. is, qui eisdem ludis stadio, diaulo, hoplo vicerat, qui ad ol. 67. *τρισσεῦσαι* (*ἐτρίσσευσε*) dicitur, *τριαστὴς* vocatur. Tum vero primum ad ol. 169. atque iterum ad ol. 179. vox *Λακεδαιμόνιος* legentibus occurrit, cujus loco in prioribus anagraphes partibus forma *Λάκων* usurpatur. Anagraphes partem tempora ab ol. 204. usque ad ol. 232. complectentem ejusdem esse auctoris etiam ex ea re intelligitur, quod verbis ad ol. 204. additis: *μεθ' ὃν μέχρι ἡμῶν οὐδεὶς ἐγένετο ἀφ' Ἡρακλέους ἔτι, παραβραβευόντων τῶν Ἠλείων τοὺς δυναμένους*, haud dubie auctor rationem habet verborum, quae ad ol. 232. leguntur: *Σωκράτης πάλην καὶ παγκράτιον ἀπογραψάμενος ὑπ' Ἠλείων παρεβραβεύθη ὑπὸ Διονυσίου Σελευκέως.*

Verbis autem *μέχρι ἡμῶν* vix dubium est quin aetas ejusdem auctoris definiatur, qui praescriptionem anagraphes composuit, quem fuisse Africanum jam supra demonstravimus.

Quae ad constituenda historiae Graecae tempora atque ad fastos imperatorum Romanorum componendos in anagraphen sunt inserta, ea aut Eratostheni aut Africano debere videmur.

Haec habui de anagraphis Olympiis quae dicerem. Vos autem, discipuli carissimi, adhortor atque admoneo, ut, quemadmodum adolescentes Graeci in ludis Olympiis ad gloriam victoriae sunt nisi, ita ex hujus vitae certaminibus victores discedere studeatis. Agitedum ne obliviscamur hanc vitam esse cursum, in quo nemo coronetur, quin antea se exercuerit, atque hunc cursum bene conficere esse *Ὀλύμπια νικᾶν.*

---

# Schulnachrichten

## für die Zeit von Ostern 1874 bis Ostern 1875.

---

### A. Uebersicht der behandelten Lehrpensa.

### **Prima gymnasialis.** Classeninspicient der Director.

**Lateinisch** 8 St. Horat. Od. I. II und ausgewählte Episteln 2 St. Ciceron. Tusc. V. Taciti Ann. II. 3 St. Aufsätze 1 St. Der *Director*. Extemporalia und Scripta nach Dictaten 1 St. Quintiliani lib. X. 1 St. *Berger*.

Es wurden acht Aufsätze geliefert, zwei über Privatlectüre, sechs über folgende Themata: 1. a. Regnum Persarum quomodo conditum, a quibus auctum, quibus rebus debilitatum, quomodo eversum sit, breviter exponatur. b. Praeclare statuit Socrates de una certissima ad laudem via apud Xenophontem (Memorab. 2, 39.). c. Quae dixerit Horatius in prima primi libri satira. d. De Ibyci poetae morte. 2. a. Polycrates, Samiorum tyrannus. b. Cur Furius Camillus alter Romae conditor dici possit. 3. a. Qui factum sit, ut frustra Demosthenes patriae libertatem restituere conaretur. b. Quibus rebus Graecia floruerit, quibus conciderit. c. Et prodesse volunt et delectare poetae. 4. Quid virtus et quid sapientia possit, Utile proposuit nobis exemplar Ulixen. 5. a. Refertur de causa Libonis secundum Tac. Ann. II. 27. b. Exponuntur causae ex domesticarum quidem rerum statu repetendae, quae effecerunt, ut respublica Romana in unius dominationem concederet. c. Ne multa, sed multum! (Redeform). 6. a. Non solum ipsa fortuna caeca est, sed etiam caecat, quos complexa est. b. Verene dicat Seneca, marcere sine adversario virtutem. c. Quod Horatius dicit epodo decimo sexto: suis et ipsa Roma viribus ruit, quomodo intelligendum sit, explicatur. — Zur Abiturientenprüfung: Mobilem esse auram popularem ex historia demonstratur.

**Griechisch** 6 St.: Demosthenes, de corona. Plato, Apopologia; Criton. 2 St. Mündliches Uebersetzen aus dem Deutschen ins Griechische aus Rost und Wüstemann's Anleitung 4. Cursus 2 St. Scripta nach Dictaten. 1 St. *Berger*. Homeri Il. 11. 12. 13. 14. 15. 1 St. Der *Director*. Im S. Soph. Oedip. Rex im W. Oedip. Col. *Gilbert*.

**Deutsch** 3 St. Geschichte der deutschen Literatur vom 12. bis zum 17. Jahrhundert; Grundzüge der Sprachentwicklung dieses Zeitraums und Lectüre charakteristischer Stücke aus dessen bedeutendsten Schriftwerken. Regelmässige Uebungen im mündlichen Vortrag eigner Arbeiten über selbstgewählte Themata. Logische Uebungen. Genaue Besprechung der häuslichen Aufsätze, deren in jedem Vierteljahr von jedem Primaner

